





FACULTATIS JURIDICÆ

DECANUS

19

ET

SENIOR,

1714, 3^{te}

JOHANNES

HENRICUS

Meier/

LECTUS, ELECTORALIS REGIMINIS
ERFFURT. CONSILIARIUS, DECRETAL. PROF.
PUBL. ET JUDICII PROVINCIALIS ASSES-
SOR PRIMARIUS.

LECT. BENEV.

S. P. D.



Romani Jcti, quando de re-
rum dominio agunt, com-
plures nominant acquirendi
modos, quos ad Jus Gentium
referunt; non illud, quo mu-
tua Gentium societas conti-
neretur, sed quod tacito placuit consensu, vel
ad Jus natura, non quidem merum, sed quod
sequitur introductum dominium & civilem
legem antecedit & ad civium tendit tranquil-
litatem. Primus autem & originarius acqui-
rendi modus, qui à nobis ipsis incipit, & ab
alio non habemus, est occupatio eorum, qui
nullius sunt, is haut dubie naturalis est, alie-
nus ab ullius injuria. Ex hac autem occupa-
tione constituitur possessio, per quam, tan-
quam modum acquirendi præstantissimum
dominium acquiritur *l. 1. §. 1. ff. de A. vel A. P.*
ubi eleganter tradit Nerva filius: dominium
sine naturali apprehensione non transferri,
uti in *l. 20. Cod. de pact.* de acquisitione deri-
vativa, quâ quid ab alio ad nos transit, rescri-
pserunt Imperatores: neque titulis, neque
nudo contrahentium consensu, sed traditio-
nibus & usucapione rerum dominia transferri,
quod

quod probatur quoque textu in *l. 20. §. ult. ff. de A. R. D. add. l. 8. Cod. de act. empt. & vend. l. 12. Cod. de poobat. l. 50. ff. de R. V.* Contraria, quæ hic obmoveri possunt argumenta diluit Melch. de Valent. *Illustr. tr. 2. cap. 4.* Est autem dominium, ex sententia Moralistarum, jus in re potissimum, ab omnibus non satis intellectum, quia, cui id justè quæsitum est, potest ceteras juris in re causas alteri constituere & istud in alios actu inter vivos, vel per dispositionem novissimæ suæ voluntatis transferre, ut meritò describatur jus lege competens, quò corporalis res propria redditur, ex se producens & facultatem de eadem liberè ac pro arbitrio disponendi, & actionem contra quemcunque ejus detentorem §. 4. *Inst. de usuf. §. 1. vers. Aut. cum eo. agim. Inst. de action.* Ex antiquissimo Jure Romano, cujus vestigia in libris Juris Justin. supersunt, duæ dantur domini species, puta naturale & civile ex nudo Jure Quiritum; utraque species conjunctim sumpta efficit Jus, quod *optimo Jure dominium* appellabatur, cujus meminit Cicero in *Orat. de Haruspicum responsis*: multæ, inquit, sunt domus in hac urbe, atque haut scio, an fere cunctæ

cunctæ jure optimo, sed tamen jure privato, jure hereditario, jure autoritatis, jure mancipi, jure nexi, de quibus, fermè antiquatis acquirendi modis vid. Ulpian. *lib. 1. tit. 1. §. 10.* ubi trium modò mentionem fecit, nimirum mancipationis, in jure cessionis & usucapionis, quibus Varro *de re rustica. 11. c. 10.* addit *justæ hereditatis aditionem*, cujus peregrinus capax non erat, uti patet ex Orat. Ciceronis pro Archia, quem Civem Romanum esse, hoc evincit argumento, quod hereditates civium cepisset: *Nexum*, qui fiebat mediante ære & librâ, accedente stipulatione & interventu Prætoris, qui addicebat. Huc quoque pertinere videtur *Venditio sub Corona*, usitata rebus, bello captis distrahendis, *Gell. Noct. Att. lib. 7.* Cui accedit & *Auctio*, cum publicè sub hasta, addicente Magistratu, res veniebant. Posterior autem Jurisprudencia, sublato rerum mancipi & nec mancipi discrimine, parum æstimat, num res duntaxat in bonis sit, an ex Jure Quiritum nostra effecta fuerit, sed placuit, consensu & traditione dominia transferri; verborum & formularum inanem esse sonum, dummodo res & actus contrahentium intelligentur.

Ad

Ad hanc materiam quoque spectat ferarum
captura; & quamdiu hæc nullius dicendæ, quæ-
stione non caret; hanc igitur occasione *Leg. 5.
pr. ff. de A. R. Dom.* plenius discussurus est
Nobilis & Clarissimus

**DN. JOHANNES GODOFRE-
DUS WINCKLERUS,**

Cujus, pro more recepto, jam recensabitur
vitæ, hæctenus laudabiliter actæ cursus: Ille
ipse igitur natus Neostadii in Misnia, die 25.
Septembr. 1683. Patre, Viro inibi Prætorii mune-
ris functione & vitæ integritate commendato,
DN. ANDREA WINCKLERO; Matre ve-
rò virtute & pietate decoratâ, ANNA CA-
THARINA, nata ROELLIGIA. Ab his suis
Parentibus, qui adhuc vitali aurâ fruuntur, sub
adjutorio præceptorum privatorum, WÜRF-
FELII & SCHMIDII educatus, deinceps in Scho-
la Neostadiensium publicæ doctrinæ Cantoris
PEUZERI, b. m. & Rectoris DN. CLODII, com-
mendatus est. Anno 1697. ad Gymnasium
Zittaviensè dimissus, ubi privatâ publicaque
usus est instructione DN. KRANZII, b. m. DN.
M. ZIEGERI, M. CURTII, b. m. Con-Rectoris
DN. M. MIRI, & postremò Rectoris B. WEISII.

Dum hic Zittaviae Candidatus recordatur, in-
simul laudat DN. ETTMÜLLERI, Jur. Utr.
Licent. Scabin. & Assessor. Judicii Reip. Zit-
tav. gravissimi, sui quondam hospitis & Patroni
benevolentiam; Cui optimo Viro bona quæ-
que animitus apprecatur. Aō. 1704. Scholam
cum Academia Lipsiensi commutavit, &
collegiis sequentibus successu temporis sedulo
intertuit: *Philosophica* enim audivit apud b. m.
M. HARDTIUM, Prof. Phil. Publ. & D. WEID-
LINGIUM, jam Directorem & Profess. Gymna-
sii Weissenfelsensis. Postmodum Juris Stu-
dium amplexus frequentavit Lectiones tam
Institutionum, quam *Pandectarum*, à B. D.
ITTIGIO, quondam Jur. Facult. P. P. & Assess.
& B. DN. RYSSELIO, habitas; sub B. verò
TITII, Fac. Jur. P. P. & Assess. nec non Supr.
Appellat. Judic. Consil. manu ductione pluri-
bus Collegiis strenuam navavit operam, nun-
quam dexteritatis, fidelitatis & humanitatis
Titiana immemor: Absolvit enim ductu Beati
Viri, Collegia Institutionum & Pandectarum,
Juris Feudalis & Canonici; Ejus etiam Juris
Publici prælectiones assidue auscultavit. Jus
Saxonicum & ordinationem Processualem
Saxonicam ipsi exposuit DN. D. & PP. SCHREI-
TERUS:

TERUS: Collegium verò Practicum, quod vo-
cant, sub DN. D. PHILIPPI, Facult. Jur. Assess.
absolvit. Speciatim verò honorificam B. D.
DITTMANNI, causar. Patron. tunc celeberr. men-
tionem hic faciendam Noster existimat, nam
ab hoc non solum ædibus suis receptus, sed
& in praxeos quasi societatem assumtus, mo-
dum jura asserendi in actu exercito sese co-
gnovisse, & eà quidem occasione prima
praxeos juridicæ initia se fecisse libens meri-
toque fatetur. Neque oblivione præterire
potest, quin obstrictissimâ mente veneretur
DN. BARTHIIUM, Jctum celeberr. cujus patro-
cinio atque consilio multum se debere, haut
dissimulat. Anno 1706. à DN. D. HOELZELIO,
Comit. Pal. & summæ Curix Provincialis Ad-
vocato ordinario creatus est Notarius. Anno
1708. prævio legitimo Examine, à Facultate
Juridica Lipsi. in nummerum Advocatorum re-
ceptus atque præstito jurejurando à Serenis-
simo ad praxin admissus est. Sic in Judiciis
Lipsiensibus per aliquot annos causas, non
sine successu, quod DEO gratâ mente acce-
ptum refert, hætenus orare consuevit; Hanc
demum peritiam Dn. Candidati sibi in utro-
que & doctrinæ & praxis studio acquisitam


PURSH

EX-

experta est in Rigoroso, ut vocant, Examine
Juridica, in hac vetusta Universitate, Facultas,
cum hoc Ille modestè efflagaret; prompti-
tudinem enim in enodatione textuum Juris,
cum Canonici, tum Civilis nobis probavit,
nec minus, circa rationem Processus judicialis,
justam scientiæ certitudinem; Erotematibus
quoque, ex Jurisprudentiâ formatis, sufficiente
decisione occurrebat, ut non modò, absque
difficultate omnium Facultatis nostræ Ante-
cessorum suffragiis, illico in album Candi-
datorum relatus & ad Inauguralia Specimina
publicè admittus, sed etiam Dignitatem Docto-
ralem ambiendi, Facultas Ipsi data sit. Ne
quid igitur honestæ Ejus intentioni obstaret
& Statutis nostris satisfieret, Curforiæ Lectio-
ni ad suprâ dict. *L. 5. pr. ff. de A. R. D.* crasti-
nâ Lunæ in Auditor. Jur. Collegii major. hora
VIII. destinata est, cui postmodum Disputatio
solennis *de Jurata Diffessione Contentorum, manu
recognitâ*, succedat; Velint igitur Dnn. Uni-
versitatis Proceres, Jurisprudentiæ Favitores &
Cultores hosce actus publicos suâ gratâ præ-
sentiâ cohonestare, uti officiosè & amice ab
lisdem desideramus. Publ. sub Sigil. Facult.
Jurid. III. Domin. Trin. Aô. 1714.

Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.





Erfurt, Diss., 1713-14.

X 2386987

VD 18

ULB Halle
007 515 804

3



FACULTATIS JURIDICÆ
DECANUS
ET
SENIOR,
JOHANNES
HENRICUS

Meier/

JCTUS, ELECTORALIS REGIMINIS
ERFFURT. CONSILIARIUS, DECRETAL. PROF.
PUBL. ET JUDICII PROVINCIALIS ASSES-
SOR PRIMARIUS.

LECT. BENEV.
S. P. D.

19

1714, 3^b

